



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

115. An in casu posito supra, quando emittitur votum disjunctivum, nempe voveo castitatem, vel suscipere Ordines sacros; an si vivens statuerit postea non ordinari, ex vi voto determinatè obligetur ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)



Et quid si uterque coniux communi consensu vouerit, nec petere, nec reddere debitum? Et an Episcopus possit tale votum commutare? Ex p. 1. tr. 11. Ref. 58.

Sup. hoc in Ref. p. 1. r. 1. h. c. id med. verif. Scelus autem, & in tom. 2. tr. 6. Ref. 2. 9. 5. 1.

§. 1. **P**osse arbitratur Rodriquez in sum. tom. 2. c. 90. n. 3. & Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 8. disp. 15. n. 4. etiam si tale votum fuisset emissum ex alterius coniugis licentia. Imò, si uterque coniux communi consensu vouerit, nec petere, nec reddere; quæ omnia sunt valde notanda, & in praxi occurrentia. Et ratio est: quia supradicta vota non sunt vota integræ castitatis, sed partis; ergo per Bullam sunt commutabilia. Nec refert, si communi consensu nec petere, nec reddere debitum vouissent, quia adhuc non est votum integræ castitatis: relinquitur enim libertas transeundi ad secundas nuptias.

2. Et idè etiam Episcopus potest illa commutare, vt docet Azorius par. 1. lib. 11. c. 19. q. 6. Palatius in 4. dist. 3. disp. 2. Sa verb. votum, vbi de irritatione, n. 11. in fin. Malderus in 2. 2. tract. 10. cap. 5. dub. 10. Lessius lib. 2. cap. 40. dub. 18. num. 12. & alij, quos inuenies apud Sanctarellum de Iubil. cap. 6. dub. 6. & nouissimè idem docet Ioan. de la Cruz in direct. conf. p. 1. præc. 2. art. 2. dub. 10. concl. 3.

RESOL. CXII.

An votum non nubendi sit per Bullam dispensabile? Et an tale votum possit Episcopus commutare? Et quid si tale votum fuisset emissum in fauorem alterius coniugis id petentis propter filiorum bonum & vt eius amor, nomen, honor, & amicitia cum eius consanguineis conseruaretur? Ex p. 1. tr. 11. Ref. 59.

§. 1. **R**espondeo affirmatiuè: ita Henriquez lib. 7. c. 9. o. n. Fernandez in exam. Theol. mor. par. 3. c. 9. sect. 2. §. 17. n. 8. Nugnus in 3. p. tom. 2. tract. de Bulla Cruc. §. 11. Acofta in Bull. q. 7. Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 8. disp. 15. n. 4. quia non est votum absolutum castitatis.

2. Limitat tamen hoc, idem disp. 9. n. 12. nisi tale votum fuisset emissum in fauorem alterius coniugis id petentis, propter filiorum bonum, & vt eius amor, nomen, honos, amicitia cum eius consanguineis conseruetur: nam in hoc, cum tale votum sit factum in fauorem tertij, Confessarius per Bullam non possit illud commutare, nisi coniux remittat ius sibi acquisitum, & ab illo acceptatum.

3. Extra verò hunc casum poterit Confessarius commutare, sicuti & Episcopus, vt docent Barbosa de potest. Episc. part. 2. allegat. 37. n. m. 17. Portel in addit. ad dub. regul. verb. voti dispensatio, 78. Vgolinus de potest. Episc. c. 58. n. 1. Ioan. de la Cruz in direct. conf. part. 1. præc. 2. art. 1. dub. 10. concl. 3. Guttierrez de matrim. c. 12. n. 9. Sanchez in sum. tom. 3. lib. 4. c. 4. n. 66. Graffius par. 1. lib. 12. c. 29. & 31. Sa verb. votum, vbi de irritatione n. 11. Azor. tom. 1. lib. 1. c. 18. q. 5. Syluester verb. vot. q. 4. Rosella verb. imped. 4. n. 3. Armilla verb. dispensare, n. 18. Guttierrez can. 99. lib. 2. c. 12. n. 49. quidquid in contrarium asserat Caietanus tom. 1. Opusc. tract. 11. de voto nubendi, q. 1. Valentia tom. 4. disp. 1. q. 5. punct. 5. concl. 4. Nauarrus, & Angelus apud Guttierrez vbi supra, aduersus quos Henric. vbi supra, lib. 7. c. 30. n. 6. in Glossa, lit. D sic asserit: [Caietanus de voto non nubendi, putat reseruatum esse Papæ; quia est perpetuum, & reducitur ad votum castitatis: sed falsò; quia fornicans contra tale votum, non peccat contra votum castitatis.] Hæc ille: & vere quidem; sed cum limitatione, sde qua supra loquendo de commutatione per Bullam diximus; vt rectè notauit Malderus in 2. 2.

tractat. 10. c. 1. dub. 10. & Lessius lib. 2. cap. 40. dub. 18. num. 124.

RESOL. CXIII.

An Confessarius per Bullam possit commutare vota non fornicandi, non tenenda certa mulieris, non committendi actum mollietatis, aut abstinendi ab alio, alia venereo?

Et an in talibus votis possit Episcopus dispensare? Ex p. 1. tr. 11. Ref. 61.

§. 1. **R**espondeo affirmatiuè cum Fernand. in exam. Theol. moral. p. 3. c. 9. sect. 2. §. 17. n. 8. & idè in his votis potest Episcopus dispensare, vt notauit Barbosa de potest. Episc. p. 2. alleg. 37. num. 15. Molfesius in sum. tom. 1. tr. 11. c. 14. n. 50. Lessius lib. 1. cap. 40. dub. 18. n. 105. Graffius in decis. p. 1. lib. 2. c. 31. num. 30. Portel in add. ad dub. regul. verb. voti dispensatio, n. 78. Vgolinus de potest. Episc. cap. 58. num. 3. Reginaldus tom. 2. lib. 18. cap. 22. n. 33. & alij. Et ratio est quia talia vota non sunt vota perfectæ castitatis; & idè per Bullam sunt commutabilia.

RESOL. CXIV.

An per Bullam Cruciatæ possit Confessarius commutare votum disijunctiuum, cuius altera pars est reseruatæ, vt si aliquis diceret, voueo Castitatem & Ordinem sacrum?

Et an Episcopus possit dispensare supradicta vota disijunctiuè? Ex p. 1. tr. 11. Ref. 63.

§. 1. **R**espondeo affirmatiuè cum Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 8. disp. 15. n. 4. quia ita vouenti integrum est, illam partem eligere quam potest Confessarius per Bullam Cruciatæ commutare: nam in alternatiuis sufficit alterum impleri: ergo tale votum non potest appellari simpliciter votum Castitatis, sed Religiosis. Et ita docet Lessius lib. 2. cap. 40. dub. 15. num. 106. Suarez de Relig. tom. 2. lib. 6. cap. 4. num. 16. Reginaldus in praxi, tom. 2. lib. 18. num. 38. Molfesius in sum. tom. 1. tract. 11. cap. 15. n. 143. Filiuc. tom. 2. tract. 26. c. 9. n. 272.

2. Et idè potest Episcopus dispensare super dicta vota disijunctiuè, vt docet Azorius p. 1. lib. 11. cap. 10. quæst. 10. Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 8. disp. 9. num. 14. & alij.

RESOL. CXV.

An in casu posito supra, quando emittitur votum disijunctiuum, nempe voueo Castitatem, vel suscipere Ordines sacros? an si vouens stauerit postea non ordinari, ex vi voti determinate obligetur ad Castitatem, in eo Confessarius non possit amplius votum illud irritare Cruciatæ commutare?

Et an in tali casu possit Episcopus dispensare? Ex p. 1. tr. 11. Ref. 65.

§. 1. **N**on posse tale votum commutari censuit Sanctarell. de Iubil. c. 9. dub. 3. Leone tr. de Iubil. p. 2. q. 1. sect. 1. n. 91. Filiuc. tom. 2. tract. 26. c. 9. num. 272. Suarez de relig. tom. 2. lib. 6. c. 24. n. 3. Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 8. disp. 9. n. 14. vbi putant quod si ita vouens statuat ad Ordines non promoueri eligens reliquum voti partem, ad quam se alitruerit, non possit Episcopus, & per consequens neque Confessarium, per Bullam Cruciatæ tale votum amplius commutare: quia



ex vi voti iam tenetur ad castitatem, quæ reservata est, sicut in humanis debitor alternatiuis non potest resili- re, si creditori declarat quam partem eligat *ex regim.* in 6. Sed eo ipso, quod in corde statuit ita vouens illam partem voti eligere, illud propositum satis Deo indicatum fuit, qui corda hominum videt. Ergo, &c.

2. Non reticebo tamen, multum probabiliter contumaciam sententiam docuisse Malderum in 2.2. tract. 10. c. 1. dub. 10. quia, vt ipse asserit, etiam homini facta talis infirmitas, modo non efficiatur per modum promissionis, vel pacti ex natura rei, & ex iure naturæ, non videtur obligare, vt re adhuc integra à tali electione debitor non possit resilire, quidquid sit de iure positivo. Deinde, etiam si nudum propositum Deus videat, non tamen proponendo censetur Deo loqui, aut ei indicare nostrum propositum. Quare probabile videtur, tale propositum, & electionis decretum, quando noua non accedit promissio, ita adhuc posse arbitrio vouentis mutari, vt reus facti voti non sit futurus, si variet, & alteram partem postmodum eligat siue ea præstatior, siue minus præstant fuerit, ad quæ semper poterit in talibus Episcopus dispensare. Ita Malderus, quod etiam de Confessario virtute Bullæ Cruciatæ dicendum est, si hanc sententiam sequi velit Confessarius.

RESOL. CXVI.

An qui emisit votum disunctiuum, v. g. Castitatis, aut continentie, si elegerit votum reservatum Castitatis, possit adhuc commutari per Bullam Cruciatam, vel per Iubileum?

Et notatur votum Castitatis metu leui emissum posse commutari virtute Cruciatæ, aut Iubilei? Ex p. 11. tract. 8. & Miles. Res. 17.

1. Negatiuam sententiam tenet nouissimè Magister Gallego in Bull. Cruc. cap. 9. claus. 9. *par. 2. dub. 156.* vbi sic ait. [Adiutatis, que el que hizo le miente voto disunctiuo, si huiesse eligido ya vna parte reservada, no se podrá comutar, porque ya por fuerza del voto está obligado à guardar castidad que es reservada.

2. Eho en fca tambien Tomas Sanchez lib. 8. de matrimonio, disp. 97 en la suma lib. 4. cap. 40. y Bonacina sobre el segundo precepto del Decalogo, disp. 14. quest. 2. par. 7. 4. Fagundes sobre el mismo precepto lib. 2. c. 43. *trac. tom. 1. lib. 11. cap. 20. quest. 10.* Santarello de Iubileo, quest. 8. sit. 1. Sayo in Clauis Regia lib. 6. cap. 11. Gregorio Trullench sobre el Decalogo lib. 2. cap. 2. dub. 39. y no vale lo que dice Maldero en la 2. 2. tractat. 10. cap. 1. dub. 10. que este tal despues de auer excogido la materia reservada, se puede arrepentir, y elegir la otra. Digo que no vale porque el poderse arrepentir, no quita que no aya excogido por voto la materia reservada, y vna vez escogida, no está en su mano (aunque si el arrepentirse) que no sea materia reservada ya votada, y assi no se le podrá comutar vna vez escogida la reservada, con lo qual queda respondido à lo que dice Andreas Mendo de la Bula disp. 26. capit. 10. el qual sigue la sententia de Maldero, y tambien la sigue Barati en el lugar alegado. ] Ita ille.

3. Sed affirmatiuæ sententiæ adhareo, & præter Barati & Mendo illam docet me citato Leander de sacramentis tom. 1. tract. 5. disp. 4. quest. 43. & me citato Quinadanuenas de Iubileo, diu. hebdomadar. cap. 12. tom. 1. lib. 7. sect. 2. cap. 34. probl. 81. numero 705. asserens in casu proposito; Vouens etiam si elegerit votum re-

seruatum commutari posse Indulto Cruciatæ, modo de nouo non promittat illud, quod eligit. Quia si ex vi primæ promissionis potest eligere non reservatum, dum de nouo quoddam eligit, non promittit, adhuc poterit variare. Fateor huicmodi electionis varietatem ex leuitate animi ortum habere, assero tamen non impedire, dum non additur nouæ promissionis confirmatio, quominus votum disunctiuum valeat commutari, ex iure quod vouens habet eligendi, quod reservatum minime exiit.

4. Hanc etiam sententiam tenent Suarez tom. 2. de relig. lib. 6. de voto c. 24. num. 3. Layman lib. 4. theol. moral. tract. 4. cap. 8. num. 12. Filiucius tract. 26. cap. 10. num. 272. Palaus par. 3. oper. mor. disp. 2. punct. 11. num. 6. Bossius sect. 2. de Iubil. cap. 11. num. 7. Moronus respons. 98. num. 376. & 377. & ita ego iterum sentio casu quo eligens eam partem non promittit illam de nouo, itaut votum sit iam materiæ reservatæ absolutum, ac determinatum. Etenim hoc votum in emissionem sui non fuit reservatum, ergo dum non renouatur, non potest fieri ab eligente partem reservatam, esse reservatum. Quod enim in radice imperfectum est, ideoque non reservatum, semper secum fert eam imperfectionem; nec potest quis efficere, vt illudmet votum in reservatum, & perfectum transeat. Sicut votum pœnale, & merè conditionale, quamuis maneat absolutum, & determinatum apposita conditione, non esse reservatum diximus ob similem rationem.

5. Nec obstat in humanis debitorem in alternatiuis non posse resilire, si vnâ partem elegerit. Nam hoc dumtaxat probat, sicut in humanis tenetur quis ad eam partem à se electam præstandam, ita in voto teneri eligentem ad præstandam materiâ à se electam quod non inficiamur, sed asserimus hanc obligationem posse commutari, sicut in humanis ea obligatio potest à creditore commutari, & relaxari. Instaturque, nam in humanis debitor sub conditione tenetur præstare debitum, conditione impleta, sicut in voto conditionato tenetur vouens exequi rem promissam, impleta conditione, & tamen non exinde probatur hoc votum conditionatum non posse commutari. Ratio à priori est, quia in humanis attenditur ad obligationem, ex qua vtilitas oritur creditori, at in votis attenditur ad eorum perfectionem in prima emissionem, vt inde dignoscatur, an sint reservata, necne.

6. Nota verò quod post hæc scripta inueni Patrem Pasqualigum nostram sententiam docere de Iubileo decis. 299. num. 4. quia ait ipse, electio materiæ facta per propositum quantumuis efficax, non immutat rationem voti præcedentis. Ergo si prius erat commutabile, & dispensabile, erit etiam facta electione, quia non potest transire de non reservato ad esse reservatum, nisi mutetur in ratione voti. Antecedens probatur. Propositum adueniens, quo eligitur materia reservata non est aliqua promissio, quæ fiat Deo, neque ponit aliquam obligationem nouam, quia obligatio voti est ad alterum, nam debet transferre ad ipsum voluntatem se obligandi, Propositum autem non est ad alterum, sed est sola deliberatio, qua proponens apud se deliberat de eo, quod facere vult.

7. Confirmatur. Eo ipso, quod propositum non inducit aliquam nouam promissionem, & obligationem votum remanet imperfectum in ratione voti, sicuti erat antea, nam licet sit determinatum ratione propositi, non est tamen determinatum in ratione voti, & promissionis, atque adeo nec in ratione obligationis. Rursus materia voti non est pura Castitas, aut Religio, sed mixta cum materia alterius partis alternatiuæ, quia vt terminat promissionem dicit vtramque partem, & solum vnâ partem alternatiuæ, vt terminat